



Vide L: [illegible] Anno 1814 [illegible]

ad 3755

Dypl. perg. 420





46.

IN NOMINE DOMINI AMEN, AD POST FUTURAM ÆTATEM.

NOS IOANNES CASIMIRUS

Dei Gratia Rex Poloniæ Magnus Dux Lithuaniæ Russiæ Prus:
siæ Masouiæ Samogitiæ Liuoniæ Smolensciæ Czerniehouiæq; necnon
Suecorum Gothorum Vandalorumq; hæreditari, REX.

Notum testatumque facimus ad quos præsens Nostrum Diploma peruenerit,
huius & futuri sæculi hominibus vniuersis & singulis quorum intererit.

Cum iam adiutrice Dei Manu, Sueti:
co bello, auxiliaribus multorum con:
iuratorum Principum copijs, conti:
nuò reuirescenti, partim armorum
Nostrorum potentiâ, partim Oliuen:
sibus Pactis, vltimum feliciter ante
biennium imposuerimus finem, Do:
miniaque N'ra ex illa parte firmam mu:
niuerimus pace, Regiæ Virtuti &
Munificentiæ N'ræ propriè illud in:
cumbere arbitramur, vt illos, qui
tam difficillimis Reipublicæ temporibus, quâ sago quâ togâ, for:
tem & fidam ad Ditiones Dignitatemque N'ram tutandam, im:
pigram præstiterunt operam, condignis condecoremus præmijs:
vt vno eodemq; tempore, benè meriti, fructus laborum referant,
& relati ab alijs fructus, alios, aliosq; ad benemerendum exci:
tent alliciantq;. Ac ideo cum Generosus Hieronymus Pinoccius
Secretarius N'r & Metrices Regni N'ri Notarius, Senensis origi:
ne, Lucà verò in Thuscia oriundus, ab ineunte ætate, plurima fidis:
simaq; Serenissimæ Domui N'ræ & Reipublicæ præstiterit obsequi:
a, præsertim dum in ipso belli Suetici initio, cum Magnifico Ioanne
Comite de Leszno Legato N'ro extraordinario Viennam ad Sere:
nissimum Ferdinandum Tertium Romanorum Imperatorem Do:
minum Fratrem Consobrinum & Affinem N'rum missus, Munus
Secretarij Legationis, sibi à Nobis ex Senatus Consilio commissu,
tantâ



tanta sedulitate obiuerit, vt singulares laudes & non vulgarem
commendationem à Magnifico Legato Extraordinario promerue=
rit. Deinde cum isidem Hostis Suecus, in Regis Daniæ Fæderati
ti Nri Ditiones irrupisset, timeremusq; ne facile illo deuicto, in
Ditiones Regni Nri onus belli totum transportaretur, ad Fæde=
ratas Belgicas Prouincias à Nobis Extraordinariè Ablegatus,
tanto zelo negotia sibi imposita tractauerit, vt, vna cum alijs No:
strorum Fæderatorum Legatis, Ordines Fæderati Belgij ad arma
capessenda induxerit, & validâ Classe Res Danicas afflictas
non solum subleuauerint, verum etiam eò deductus hostis fuerit,
vt corruptis ferè omnibus quas collegerat copijs, ipsemet mæro=
re animi e viuis sublatus, Nos ex illa apprehensione liberauerit.
Demum, cum Anglia, tunc cruento & Tyrannico sceptro mode=
rata, Classem pro Suecis parasset, misissetq; in Daniam, vt vires
maritimas Holandorum librasset, ex Holandia cum Mandatis Nris
& eodem Charactere in Angliam profectus, tantâ dexteritate Mu:
nia sibi commissa tractauerit, vt tandem eadem Classis, nullâ hosti:
litate siue contra Holandos siue contra Danos Aliosue Confæde=
ratos Nros, nec commissa, nec declarata, pacificè domum redie=
rit. Nec mirari vnquam Nobis accidit præfatum Secretarium No:
strum, tantâ dexteritate & prudentiâ, negotia publica tractasse:
Non enim Nos latebat, illum ex Maioribus suis hæreditariam illam
traxisse aptitudinem; vt pote qui in sinu Patriæ Reipublicæ innu=
triti, publica Munia exercere consueuerant. Ostendit hoc Ioannes
Pinoccius, qui duobus ferè retrò sæculis, cum Pandulphus Petrucci,
Senensis patricius ex Conciuium suorum sinu, habenas illius Re:
ipublicæ extorsisset, fieretq; è Ciue Tyrannus, tam fortiter cum a:
lijs libertatis Patriæ defensoribus illi restitit, vt nisi summus ille o:
mnium Author, qui singularum ætatum atq; sæculorum decursus
Diuinâ suâ dispensatione moderatur, & res mortalium quæ à
motu originem ducunt suam, profundo æternitatis consilio, nun:
quam in eodem statu permanere permittit, aliter disposuisset, ab
illo

illo fluctuanti mutationis Euripo Respublica Senensis erepta in
pristino permansisset Domesticæ moderationis Statu. Iram igi:
tur Tyranni sibi capitaliter infensi fugiens Ioannes, voluntari:
o sibi exilio electo, in Ditione Lucense, primò occultum, dein:
de patens Domicilium fixit, & à Republica ad Rempublicam
transiens, longâ posterorum serie, substantijsque secum abdu=
ctis, Ditiones illas ditauit. Cuius Posteri processu temporis Ci:
uitatis Lucensis Incolæ facti, clarissimas ibidem cum Principa:
lioribus Familijs contraxerunt affinitates. Tandem Paulus præ:
fati Secretarij Nri Parens, propter merita in Serenissimam
Domum Austriacam, Indigenatu in Regnis & Prouincijs hæredi:
tarijs donatus, ibidem Bonorum Terrestrium posteros suos reli=
quit hæredes. Nos igitur eâ spe freti, vt Familiam hanc Pinoccio:
rum, quam Italia & Germania fultam Nobilitate & rerum gesta:
rum splendore vidit, hic quoquè in Regno Nro pariter floritura sit;
Meritaquè prænominati Generosi Secretarij Nostri & Metrices
Regni Notarij Regia munificentiâ condecorare volentes, eundem
ex vnanimi Consensu omnium Regni Nri Ordinum pro INDI=
GENA Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ, vna cum
prole Sexus vtriusquè de lumbis eius legitimè descendente, na:
ta & nascitura recipiendum & declarandum esse duximus, pro=
ut præsenti Diplomate Nro recipimus, declaramus, ac in Album
Nobilitatis Polonæ referimus, Stemmaque ipsius hæreditarium
inter Stemmata & Insignia Nobilium Regni Nri Poloniæ &
Magni Ducatus Lithuaniæ collocamus. Habilis itaquè abhinc
capax & particeps erit cum ijsdem suis Successoribus de lum:
bis descendentibus, Iurium, libertatum, prærogatiuarum, præ:
eminentiarum, Honorum & Dignitatum, ad normam & con:
suetudinem hominum Equestris in Regno Nro Ordinis. Quod
ad notitiam omnium quorum interest, præsertim verò Digni=
tariorum Officialium, ac Vniuersorum Equestris in Regno
Nro ac Magno Ducatu Lithuaniæ Ordinis hominum deducè
mandamus



mandamus vt eundem GENEROSVM HIERONY:
MVM PINOCCIVM Secretarium Nrûm & Metrices Re:
gni Nostri Notarium eiusque legitimos Successores pro veris
& legitimis INDIGENIS Regni & Magni Ducatus Lithua:
niæ habeant & agnoscant, eosque circa omnes immunitates, li:
bertates & prærogatiuas vt supra illis concessas conseruent, con:
seruarique ab omnibus studeant. In quorum omnium firmius ro:
bur, & futuris euidentius testimonium sæculis, præsens Diploma
manu Nostrâ subscriptum sigillo Maiestatis Nostræ Regiæ com:
muniri mandauimus. Datæ Varsauiæ in Comitijs Regni Genera:
libus Die XX Mensis Februarij Anno restauratæ humanæ salutis
MDCLXII Regnorum Nrorum Poloniæ XIV Sueciæ XV Anno.
Præsentibus Reuerendissimo Reuerendis Illustrissimis Illustribus
Magnificis Venerabilibus Generosis & Nobilibus, Venceslao Comite
de Leszno Archiepiscopo Gneznensi Legato Nato Regni Poloniæ Pri:
mate Primoque Principe, Ioanne Tarnowski Archiepiscopo Leopoliensi,
Andreâ Trzebicki Cracouiensi, Duce Seueriæ, Floriano Casimiro Du:
ce Czartoriensi, Vladislauiensi & Pomeraniæ, Ioanne Gembicki Plocen:
si, Alberto Toliborski Poznaniensi, Stephano Wydzga Varmiensi &
Sambiensi, Nicolao in Prazmow Prazmowski Luceoriensi, Supremo
Regni Cancellario, Andreâ Olszowski Culmensi & Pomesaniæ, Tho:
mâ Lezynski Chelmensi, Thomâ Vieyski Kiiowiensi Episcopis, Ioan:
ne Warszycki Castellano Cracouiensi, Stanislao à Potok Potocki Cra:
couiensi, Supremo Exercituum Regni Generali, Paulo Ioanne Sa:
pieha Vilnensi, Exercituum Magni Ducatus Lithuaniæ Generali,
Andreâ Grudzinski Poznaniensi, Ioanne Tarlo Lublinen, Hierony:
mo Wierzbowski Brestensi Kuiauiensi Casimiro Pac Trocensi, Deme:
trio Georgio Korybuth Duce in Zbaraz Wisniowiecki, Belzensi, Ioanne
Carolo Kopec Polocensi Ioanne de Bnin Opalinski Iuniuladislauien
Palatinis, Stanislao à Popow Witowski Sendomiriensi, Ioanne à Pie:
skowa Skala Wielopolski Woynicensi, Alexandro Sielski Gneznensi,
Andrea Przyiemski Culmensi Castellanis, Georgio Comite in Wisz:
nic & Iaroslaw Lubomirski Supremo Marschalco & Campiductore
Regni, Christophoro Pac Magni Ducatus Lithuaniæ Cancellario,
Ioanne Comite de Leszno Regni, Alexandro Naruszewicz Magni
Ducatus

Lithuaniæ Procancellarijs, Luca de Bnin Opalinski Curiæ Regni
Marschalco, Stanislao Krasinski Supremo Regni Thesaurario, Al:
berto de Pilca Koryzinski, Præposito Generali Miechouiensi Secreta:
rio Regni Maiore Wierzbowski Regni, Abbatiæ Paradi:
sensis perpetuo Administratore, Stanislao Nieniarowski Magni Du:
catus Lithuaniæ Spiritualibus, Andrea de Raciborsko Morsztyn
Regni sæculari Referendarijs Theodoro Donhoff Succamerario Regni
Ioanne Tanski Instigatore Regni, Ioanne à Pieskowa Skala Wielopol:
ski Biecen Bochnenq Capitaneo Nunciorum Terrestrium Marschalco,
Stanislao Lubomierski Scepusien Ioanne Euaristo Belzecki Wyszogro:
den Capitaneis, Andreâ Miaskowski Abbate Trzemesnen Ioanne
Gninski Capitaneo Gneznen Pomeraniæ Succamerario Cancellariaru
Regni Regentibus, alijsque plurimis Nobilibus & Incolis Regni
Magnique Ducatus Lithuaniæ ad præsentem Conuentum Re:
gni Generalem Varsauiæ congregatis.

Ioannes Casimirus Rex

Stephus Hankiewic
Secrs. Reg. Mttis ppa



Cancellario Ill[mi] et R[mi] in Chro. P[at]ris D[omi]ni Nicolai in
Prażmow Prażmowsky Episcopo Lucovien[sis] et Bresten[sis]
Supremo Regni Polon[iae] Cancellario.
Abb[ati]s Sieciechovien[sis] perpetuo Admi-
nistratore, Ecclesiae
S. Michael in Arce
Cracovien[sis]
Praeposito &c. &c.

Rta et Indta ad Acta Metrica Regni

Cancellariae Maioris

Leonard v Waligórski 1814 An: 5 Sierpnia
Leonard Waligórski 1816 An: 15 Aprilis.

Stephanus Hankiewicz
Secr. Reg. M[aies]t[a]tis











